



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disput. XLII. De Partibus Continui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

*Creatio ad hoc munus aptissima ob independen-
tiam.*

guis modum operandi omnino independentem, sic ut autem dependentia quæ est major, arguit per se loquendo, maiorem imperfectionem, ita è contrà independentia ex genere suo arguit perfectionem: unde licet alias actiones habeant creaturæ communes cum Deo, ut operationes vitales, intellectuales &c. congruum tamen est ut aliqua sit Deo peculiaris, nempe creatio, quippe quæ dignitatem quandam præferat, & excellentiam.

V. Opinio negans creaturam posse creare nititur maxime auctoritate Patrum.

Præcipua verò hujus rei probatio desumitur ex auctoritate sanctorum Patrum, qui omnes uno ore negant posse alteri, quam Deo actionem creativam competere: & inde probant contra Ariam, Christum esse Deum, quia habet virtutem creandi. Impotentiam verò hanc creandi refundunt in limitationem creaturæ. Sic enim, ut alios omittam, loquitur sanctus Athanasius contra Arianos: *administrare, inquit, creaturatum, & servorum est, condere autem, & creare solius Dei*; quod tamen dici cum veritate non posset, si esset possibilis creatura, cui virtus creandi instar causæ principalis communicari posset, sic enim creare non esset solius Dei.

SECTIO VIII.

Quæ res possint creari.

I. Angeli, anima rationalis, corpora simplicia, & materia prima connaturaliter creantur, imò ita per creationem petunt produci, ut educi ex subiecto nequeant, vel divinitus, ut ostendi supra f. 5. n. 4. & 5.

Dico primò: Angeli, anima rationalis, corpora simplicia, & materia prima connaturaliter creantur, imò ita per creationem petunt produci, ut educi ex subiecto nequeant, vel divinitus, ut ostendi supra f. 5. n. 4. & 5.

II. Forma substantiales, & accidentales absolute possunt creari.

Dico secundò: formæ aliæ substantiales, imò & accidentales absolute, sive materiales sint, ut calor, albedo, lux, frigus; sive spirituales, ut gratia, lumen gloriæ; & habitus tum in intellectu, tum voluntate, licet connaturaliter educantur, possunt tamen divinitus produci per creationem. Hoc à paritate rationis probatur in speciebus Eucharisticis: si enim illæ, accidentales cum sint, & materiales, conservari possunt per actionem creativam, quidni eodem modo conservari poterunt formæ materiales, substantiales, & accidentales spirituales?

III. Plurique modi possunt creari.

Dico tertio: modi omnes (iis exceptis in quibus est specialis repugnantia, de quibus hic aliquid subijciam) creari possunt, ut ostendi supra d. 13. f. 3. nec quidquam hic addendum occurrit.

IV. Eductio nonquit creari, nec creatio educi.

Dico quarto: actio eductiva produci per creationem non potest, sicut nec creatio educi. Ratio videtur clara: actio enim eductiva est essentialis dependentia à subiecto, ergo produci nequit per creationem, quæ terminum suum reddit independentem à

subiecto. Et eodem modo è contrario probatur creationem, quæ est independentia à subiecto, non posse ex eo educi: sic enim esset independentia dependens, quod perinde sonat, ac si quis diceret, indistantia distans, præsentia absens, conjunctio separata, & alia hujusmodi.

Dico quinto: nec creatio per aliam creationem produci potest, nec eductio per aliam educationem educi. Probatur, quod enim est per se essentialiter tale, non potest illud habere per aliquid à se distinctum, sicut secundum omnes albedo non potest reddi alba per albedinem à se distinctam, nec calor similiter calidus.

Dices; uniones continuativæ partium quantitatis, aut albedinis, licet sint modi, & per se immediatè afficiant partes illorum accidentium: per inhærentiam tamen, & unionem à se distinctam insunt materiæ tanquam subiecto, ut supra dixi d. 13. f. 1. n. 10. Sicut ergo unio aliqua potest per aliam unionem uniri, quidni & actio poterit per aliam actionem produci? Sed contrà, hoc enim nimium probat; probat siquidem posse creationem etiam naturaliter per aliam actionem produci, cum uniones illæ continuativæ quantitatis, & albedinis naturaliter uniantur materiæ tanquam subiecto.

Resp. itaque, uniones illas continuativas habere duplex munus; unum est ut partes illas extensionis inter se uniant & continent, & secundum hanc rationem immediatè illas afficiunt, & connectunt, suntque respectu illarum modi, nec per aliam unionem continuationis possunt iis uniri; etiam divinitus, ut omnes fatentur. Aliud munus harum unionum continuationis est, ut informet materiam, & simul cum partibus quantitatis, & albedinis reddant illam quantam, & albam: sub hac autem ratione non sunt modi, sique nil mirum si per unionem distinctam illi connectantur. Hæ ergo uniones continuativæ non sunt purè modi, sed duas in se complectuntur formalitates, modi alteram, alteram rei absolute, sique sunt entitates mixtæ. At creatio secundum omnes est purus modus, nec aliud in eà munus aut prædicatum relucet, quàm ut faciat talem terminum dependentem à tali principio effectivo, sine concursu alicujus causæ materialis: nec cum fundamento aliam quis ei formalitatem affinxerit. Unde non magis poterit una creatio produci per aliam, quàm res quæ est essentialiter alba, per aliam albedinem dealbari. Quod tamen nemo concedet: & rationem dicunt omnes esse, quia quod habet aliquid per essentialitatem, non potest illud accipere ab extrinseco. Idem ergo hic dicendum de Creatione.

V.

Creatio per aliam creationem produci nequit.

VI.

Difficultas ex unionibus continuativis quantitatis.

VII.

Uniones illæ continuativæ habent duplex munus.

Uniones illæ continuativæ non sunt puri modi.

Creatio non magis creari potest, quàm albedo dealbari.

DISPUTATIO XLII.

De partibus continui.

Continuum merè vocatur labyrinthum.

Ingredivimur labyrinthum, in quem, introitum multi, exitum nemo hactenus invenit. Quod èd magis mirum, cum de rebus, quæ ob oculos quotidie versantur, & ipsis etiam manibus palparamus, futurus sit sermo, ut de ligno, aqua, lapide, videmusque res qualque minutissimas, perspicacissimis etiam ingenii negotium facessere, & viros longè eruditissimos sub unius pili pondere gemere, seque ferendo non esse agnoscere. Imò quò penitus rem hanc quis intuetur, èd majoribus, magisque perplexis implicari se nodis, ac nexibus animadvertit. Hic proinde verè contingit, quod in monstro illo fabulosa finxit

antiquitas; uno enim, ut ita dicam, præciso, nova & nova difficultatum capita succrescunt; ita ut in hac palestrâ labore victi, philosophi etiam præstantissimi animum despondeant, seque certamini impares agnoscunt, de victoriâ desperent. Nondum natus Hercules qui hoc monstrum domet. Nulla emeris hactenus mens tam perspicax, quæ paleæ nobis, aut pili unius structuram evolvat.

Sub pilis animi ponere gemmas philosophi.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Denturne partes actû in continuo, an tantum in potentia.

I.
Opinio negans partes actû distinctas in continuo.

Aliqui, ut difficultates evitent, quæ in compositione continui reperiuntur, asserunt in nullo continuo esse partes actû, & realiter distinctas, sed solum potentia, & caput in homine non distinguuntur actû à pedibus, aut unam manum ab alterâ, nisi præscindantur, & separentur licet ipso facto, inquit, quod partes illas concipiamus jam eas assignemus, & distinguamus: ita Averroës, Simplicius, Themistius, Albertin. in præd. quan. d. 3. quæst. 6. Falsolus 1. p. quæst. 7. art. 1. d. 2. Tann. 1. p. d. 2. q. 4. d. 2. n. 24. & multi alij docti viri, & de re litterariâ optimè meriti.

II.
Hi tamen forte non differunt à communi sententia.

At sanè existimo hos auctores in re non discrepare à communi sententiâ, & per distinctionem hic non intelligere aliud, quàm divisionem: dum enim duas assignant identifications, physicam seu quantitativam, & metaphysicam, & hanc secundam solum ajunt esse rigorosam identificationem, aliam autem secundum quid tantum, & cum addito, nempe identificationem continuativam, seu quantitativam, reipsâ dicunt non esse veram identitatem, sed solum unionem, & consequenter tantum dicunt non esse partes illas actû divisas, non tamen non esse actû distinctas.

III.
Dantur partes actû distinctas in continuo.

Secunda, & vera sententia docet dari in continuo partes actû, & realiter distinctas: ita Greg. in primo d. 24. q. 1. ar. 2. Suar. d. 40. Met. §. 5. Tol. l. 6. Phy. q. 1. concl. 3. Conim. lib. 6. Phy. cap. 2. quæst. 1. ar. 2. & 3. Rub. l. 6. Phy. trac. de conti. num. 40. Murf. l. 6. Phy. d. 1. q. 6. Hurt. d. 15. Phy. f. 1. m. 2. Arriaga d. 16. Phy. f. 2. n. 14. Oviedo contro. 17. Phy. p. 1. n. 2. & alij. Quam etiam sententiam fusè, & eruditè tradit D. Libertus Fromondus opere de Continuo peculiariter scripto.

IV.
Reperiuntur in eis signa omnia distinctionis realis.

Ratio est, primò, quia omnia signa distinctionis realis inter eas partes reperiuntur, ut realis separabilitas, posse unam partem perire, altera manente, esse naturaliter simul in diversis locis, produci distinctis locis, & temporibus, & alia hujusmodi: quæ si non arguant distinctionem realem, quidni negemus Perrum & Paulum distingui realiter: Dices; ipso facto quod separentur, distinguuntur. Contra, separatio supponit distinctionem, nihil enim separari potest à seipso, alioqui quidni animal & rationale in hominè à se invicem separari poterunt? certè non ob aliam rationem, nisi quia identificantur.

V.
Si manus identificetur cum brachio, hæc propositio est vera, manus est brachium.

Secundò, si manus & brachium non distinguuntur realiter in corpore humano, ergo identificantur, ergo potest unum prædicari realiter de alio, ergo tam potest dici, manus à parte rei est brachium realiter, quam animal realiter est rationale, cum ad prædicationem realem non requiratur, nisi realis identitas. Contrarium tamen videmus, verum enim est dicere caput realiter à parte rei non est pes, nec manus brachium, ergo habet negationem brachij, ergo distinguitur à brachio, cum propterea Petrus distinguatur à Paulo, quod de eo affirmari possit ipsum non esse Paulum.

VI.
Hi partes actû distinctas in continuo non esse actû compositum.

Tertio, continuum est actû compositum reale, ergo in eo reperitur actû compositio realis, ergo realis distinctio, cum compositio sit distinctorum unio, & eo modo distinctorum quo est compositio, si compositio sit rationis, debent esse distincta ratione, si compositio realis, distincta realiter. Conf. hinc se-

queretur manum aut pedem nunquam esse actû partem hominis, nam non quando sunt separata, ut constat, tunc enim non magis sunt actû partes hominis, quàm materia actû est pars ignis, vel hominis; antequàm in eam actû inducatur forma ignis, vel anima rationalis, aut quàm homo est pars exercitus, vel numeri ternarij, nisi quando actû physicè, vel moraliter aliis adjungitur: sed nec hæ partes secundum hanc sententiam sunt actû partes, quando sunt unitæ, tunc enim admitterent Adversarij actû partes in continuo, quas tamen negant: ergo nunquam sunt actû partes.

Quartò, una pars continui producit aliam, & est vera causa Physica illius, ut quando magnus ignis producit & unit sibi aliam partem in materiâ applicata, ergo illa nova pars acquisita distinguitur realiter ab igne illo, nihil enim potest naturaliter producere seipsum. Dices; Distinguitur metaphysicè, sed non Physicè, & quantitativè. Contrà primò, ergo metaphysicè habent diversas realiter essentias actû, ergo actû dantur partes in continuo realiter metaphysicè distinctæ. Contrà secundò, hæc identitas Physica & quantitativa nihil est aliud præter unionem, ergo eodem modo posset quis dicere corpus & animam esse identificata in equo, vel homine, cum tam verè sint unita Physicè ac partes continui.

Dices; corpus & anima non sunt ejusdem rationis. Contrà primò, sunt talis rationis ut possint inter se uniri, si ergo unio proportionata partibus quantitatis potest illas identificare, quidni etiam unio proportionata corpori, & animæ illa similiter identificabit? cum æquè verè illa uniat, atque uniuntur partes quantitatis. Contrà secundò, si semel admitatur posse res duas realiter antea distinctas realiter identificari, parum refert si distinguantur numero, si specie. Deinde in partibus saltem heterogeneis urget argumentum, cum hæ partes aliquo modo specie distinguantur, & tamen secundum hanc sententiam identificantur.

Quintò, per hunc modum philosophandi non vitant hi Auctores difficultatem continuæ, eam enim præcipuè de causâ sequuntur hanc sententiam ut solvant quò modo quodvis continuum non habeat actû infinitas partes, & consequenter non sit actû infinitum: sed hoc secundum non vitant, fatentur enim palmum quantitatis, & quamvis minimam ejus partem esse divisibilem in infinitum, ergo nunquam exauriri potest, ergo est actû infinita, id enim juxta Aristotelem & Philosophos communiter est infinitum quod scilicet nullo finito tempore exauriri potest, ergo est actû infinita pars illa, cum actû habeat entitatem, quæ per divisionem nunquam exauriri potest: unde quod inferunt Adversarij tamquam incommodum, nempe cuspidem acûs secundum hanc sententiam habere actû infinitas partes; idem vel æquale inconueniens sequitur in illorum sententiâ, nam cuspis illa acûs juxta illos est actû tanta, ut nunquam exauriri possit, nec tot partes ab eâ separari, quin plures & plures sint separabiles in infinitum.

Sextò, in continuo saltem successivo æquè urgent quoad infinitum actû, atque alia sententia, nam Negantes partes ibi pereunt successivè, ergo debent concedere actû infinitas partes temporis perisse, nam non potest assignari certus numerus, nunquam enim assignari pars ulla potest, quæ non sit adhuc divisibilis in infinitum, imò quæ non fuerit actû divisa in infinitas partes, nam omnes partes perierunt successivè, sed non potest assignari certus numerus earum quæ perierunt successivè, ergo est numerus sine numero, seu cujus nullus assignari finis potest, ergo in-

VII.
Una pars continui producit subinde aliam.

Si uniri sit identificari, corpus & anima identificantur.

VIII.
Specificæ distinctionis, si non impediunt unionem, non impediunt distinctionem.

IX.
Negantes partes actû non effugiant difficultatem continui.

Difficultas infiniti acûs urget in sententiâ Negantis partes actû.

X.
Negantes partes actû in continuo maxime urgent in successivo.

finitus: hic autem non possunt dicere esse solas partes potentia; non actu, quia actu omnes fuerunt divisae, & successive destructae, ergo etiam juxta adversarios erant partes actu.

SECTIO II.

Objectiones contendentes non dari partes actu in continuo.

I. Obijciunt Aristoteles dicens in continuo non esse partes actu, sed potentia, & actu esse unum, & alia hujusmodi. Ad hoc recte respondet Suarez solum velle Aristotelem non esse illas partes in continuo actu per modum entium completorum per se, sed ut complentes aliam entitatem. Ad secundum autem quando ait esse unum, intelligit omnes illas partes esse unum, non quod verè sint unum inter se, & identificatae, sed unum compositum; nam caput, manus, pedes, &c. sunt unus homo, omnes partes ignis sunt unus ignis, partes aquae in mari sunt unum mare, &c.

II. Unde res omnis continua est unum actu, potestate plura, nempe est unum compositum actu, plura composita potestate, nam una aliqua aqua est quidem actu una, potest tamen dividi in tres partes, & tunc erunt tres aquae, antea autem non poterat actu dici tres aquae. Aristoteles verò nunquam ait partes non esse distinctas, nec utitur hoc vocabulo, unum autem etiam secundum Aristotelem non capitur pro identitate, sed idem subinde sonat quod simile, ut quando ait duos parietes esse unum in albedine, & Petrum ac Paulum unum vocat in natura humana.

III. Obijciunt secundò: si omnes partes continui sint actu distinctae, sequi continuum componi ex indivisibilibus: patet sequela, si omnes partes sunt indivisibiles, ergo sunt indivisibiles, quando enim non possunt ulterius distinguui; nec poterunt ulterius dividi. Resp. negando sequelam, nec enim sequitur Petrus est indistinguishibilis à Paulo, ergo est indistinguishibilis, solum enim est ab eo indistinguishibilis, quia est actu distinctus: unde res quaeque maxima, ut mons, arbor, domus sunt hoc sensu non minus indistinguishibiles ab aliis rebus, quam punctum quodvis minimum, id est, non sunt in potentia ad distinctionem, quicquid enim est actu distinctum ab alio

est ab eo indistinguishibile, nec enim illud est solum aptum distinguui, seu in potentia ad distinctionem, quod est actu distinctum.

Dices, statuamus ergò unam partem quae distinguatur ab omnibus aliis, vel est divisibilis, vel non: si non, ergo est punctum; si ita, ergo non est distincta ab omnibus aliis. Resp. negando suppositum: nulla enim una assignari potest pars, quae adequatè distinguatur ab omnibus aliis, sed solum inadæquatè & tanquam includens ab incluso, nulla enim est quae in se non includat infinitas: & propterea vocantur partes communicantes, ut postea videbimus.

Obijciunt tertio: si actu distinguantur puncta à partibus, ergo possunt omnia separari, ergo tunc omnes partes remanebunt sine unionibus, ergo erunt indivisibiles: si enim omnia puncta destruantur, non sunt ullae partes usitatae, ergo omnes divisae, ergo nulla divisibilis. Resp. negando primam consequentiam: sicut nec sequitur, ubicatio & actio distinguuntur realiter à re ubicata, & conservata, ergo omnis actio & ubicatio separari à re illa poterit, sic enim res esset & nullibi esset, & existeret sine actione conservante, quae implicat. Eodem ergo modo in hoc casu sequeretur implicantia: essent siquidem partes, & non essent, essent ut supponitur, non essent quia dividi non possent, quod tamen est de conceptu essentiali partis, ut pars distinguatur à puncto. Potest ergo quodvis punctum separari, sicut & quavis actio, aut ubicatio non tamen omnia separari simul.

Obijciunt quarto: ex duobus entibus in actu fieri nequit unum per se, ergo partes in continuo non distinguuntur actu, sed tantum potentia. Contrà, si perentia in actu intelligantur solum entia realiter distincta, certum est ex duobus entibus in actu hoc sensu fieri unum per se, corpus enim & anima realiter distinguuntur, & tamen ex iis fit unum per se. Resp. ergo ex duobus entibus in actu completo non potest fieri unum per se, posse tamen ex duobus entibus in actu incompleto, quia ratione sunt completa: partes ergo continui, aquae ex. g. licet sint completae essentialiter, integraliter tamen sunt incompletae, sicque ex illa parte admittunt augmentum. Alia etiam argumenta hic obijci solent, quae postea in explicatione sententiae nostrae de Continuo solvantur.

DISPUTATIO XLIII.

De Unionibus continui.

SECTIO PRIMA.

Utrum in Continuo dentur uniones distinctae à partibus.

I. Prima sententia est quorundam recentiorum, qui negant in Continuo dari uniones ullas distinctas à partibus, sed ajunt partes, positis quibusdam dispositionibus accidentalibus, & indistantia locali, uniri seipsis.

II. Impugnatur hæc sententia primò: aqua, ignis, ferrum, & alia hujusmodi sunt tota, seu composita substantialia, ergo non possunt eorum uniones esse accidentia, sic enim essent composita accidentalia,

& nullam ex illis esset unum per se substantiale. Respondent, ad hoc ut aqua ex. g. sit unum per se substantiale, sufficere quod partes illius principales sint substantiae, ex iis enim, primariae cum sint, desumitur denominatio totius. Contrà primò, in compositis non desumitur denominatio à partibus tantum, sed etiam ab unionibus, imò ab hac principali ter:

Sic enim in homine totum dicitur generatum, licet nec materia, nec forma generetur, sed sola unio. Ratio autem est, quia Bonum ex integrâ causa, malum ex quolibet defectu: cum ergo esse substantiam sit quid bonum, & perfectum respectu esse accidentalis, & quandam præ se ferat dignitatem, ut aliquid sit substantia, debet esse usquequaque substantia, seu nihil in se continere accidentale.

Contrà secundò, ex illa enim solutione sequeretur

IV.

Nulla sumi potest pars in continuo adequatè ab omnibus aliis.

V.

Obijciunt puncta separari à partibus.

Resp. quodvis punctum separari posse à partibus, non tamen omnia.

VI.

Obijciunt ex duobus entibus in actu non posse fieri unum per se.

Resp. id verum esse quando sunt in actu completo, non quando incompleto.

esse composita accidentalia.

III.

Non à partibus tantum, sed etiam ab unionibus summi ut denominatio totius.

Bonum ex integrâ causa.

IV.